Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Considerasti ista omnia? Consideravi inquis. Unde considerasti? Ipse consi-
derator apparatur. Ipse enim est considerator istorum omnium discriminator.
distinctor. et quodammodo appensor in libra sapientiae animus est. Sine du-
bio melior est animus quo ista omnia cogitasti, quam ista omnia quae cogitasti.
Animus ergo iste spiritus est non corpus. Transi et ipsum. Compara ipsum animum pri-
mo ut videas quem transeas. Compara illum carni. Absit. ne digneris com-
parare. Compara illum fulgori solis. lunae. stellarum. maior est fulgor
animi. Primo celeritatem ipsius animi vide. vide si non vehementior
scintilla est animi cogitantis quam splendor solis lucentis. Solem
orientem tu vides animo. motus ipsius quam tardus est ad animum tuum.
Cito tu potuisti cogitare quod facturus est sol. quam ille facturus est. Ab
oriente ad occidentem venturus est. iam ex alia parte eras orientem ubi
hoc fecit cogitatio tua. Adhuc ille tardus est. et tu omnia peragrasti.
Magna ergo res est animus. Sed quomodo dico transi et ipsum. quia et ipse animus
mutabilis est. quamvis melior sit omni corpore. Modo novit. modo
non novit. modo obliviscitur. modo recordatur. modo vult. modo non vult. modo pec-
cat. modo iustus est. Transi ergo omnem mutabilitatem. non solum omne quod vi-
detur. sed et omne quod mutatur. Transi enim carnem quae videtur. transi caelum.
solem. lunam. et stellas quae videntur. transi et omne quod mutatur. Iam enim
istis transactis veneras ad animum tuum. sed et ibi invenisti muta-
bilitatem animi tui. Numquid mutabilis est deus? Transi ergo et animum
tuum. effunde super te animam tuam. ut contingas deum. de quo tibi dicitur ubi
est deus tuus. Ne putes te aliquid facturum quod homo non possit. hoc fecit
ipse Iohannes evangelista. Transcendit carnem. transcendit terram quam
calcabat. transcendit maria quae videbat. transcendit aerem ubi
alites volitant. transcendit solem. transcendit lunam. transcendit
stellas. transcendit omnes spiritus qui non videntur. transcendit mentem suam ip-
sa ratione animi sui. Transcendens omnia ista et effundens super
se animam suam. quo pervenit? Quid vidit? In principio erat verbum. et
verbum erat apud deum. Si ergo separationem non vides in luce. quid separa-
tionem quaeris in opere? Vide deum. vide verbum et inhaerere verbo
dicenti. quia ipse dicens non syllabis dicit. sed splendore sapientiae ful-
gere. hoc est dicere. Quid dictum est de sapientia ipsius? Candor est
lucis aeternae. Attende candorem solis. In caelo est. et expandit can-
dorem super omnes terras. per maria omnia. et utique corporalis lux est.